



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

32. An famulus teneatur ad restitutionem si non manifestet Domino alios  
famulos res ex aliqua domus officina sæpius furari? Et quid de famulo, cui  
cura penus custodiendæ demandata est? quid est ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

Hoc tamen limitat esse verum Less. n. 57. quem sequitur Diana part. 2. tr. 5. Miscell. resol. 54. respectu confessorum, non vero extraneorum, quos non impediens peccat contra iustitiam, quamvis ei domus cura non sit commissa. At Salon. 2. 2. q. 62. art. 7. controuers. 2. §. de iis qui tenentur ex officio obstaré, & alij absolute docent, famulum, cui domus cura non est commissa, non teneri restituere, siue fur sit domesticus, & conseruus, siue extraneus. Idem videtur sentire Bonac. sup. n. 7. & Diana part. 2. trall. 6. Miscell. resol. 58. Quod videtur verius, quia famulus eo ipso, quo alteri famulatur, non tenetur res domini custodire ex iustitia, nisi ad id se speciali officio obligauerit. Ita Trullench, cui de §. ad me addit etiam me citato Machadam tom. 2. lib. 6. part. 2. trall. 1. 1. docum. 2. n. 2.

RESOL. XXXII.

An famulus teneatur ad restitutionem si non manifestet Domino alios famulos res ex aliqua domus officina sepius furari? Et quid de famulo, cui cura penus custodienda demandata est? Et quid est dicendum, si fures extranei domum ingrediuntur, & famulus eos videt, an teneatur ad reuelandam, si aliter malum impedire non potest? Et an dicitur famulus teneatur restituere si ab alio famulo furante accepit aliquid, si clamet, vel indicet furum eius Domino, nisi pars accepta sit furti? Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 58.

§. 1. Hic casus frequenter accidit, & ad illum sic respondet Laym. in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 2. c. 5. n. 7. si duo eiusdem familiae famuli sint, quorum vni cura penus custodiendae demandata est, alteri non est, et si uterque ex lege charitatis furta impedire debeat, si facile, & sine suo incommodo possit, ex iustitia tamen ferme is solum, qui curam penus gerit, quare solus etiam ad restitutionem obligatur. Ita ille, & ante illum Nauar. c. 14. n. 7. Lessius lib. 2. c. 1. §. lib. 10. n. 74. & alij. 2. Notandum est tamen quod Petrus Nauarra de re. lib. 3. c. 1. n. 224. limitat hanc sententiam, nisi fures extranei in domum ingrediuntur, nam, tali casu putat ex iustitia quemlibet famulum obligari ad reuelandum, si aliter malum impediti non possit; cuiusque etenim famulo eo ipso quod domesticus est, custodia domus aliquo modo incumbit, vt ab extraneorum iniuriis defendat. 3. Sed quaeret aliquis, an dicitur famulus teneatur restituere, si ab alio famulo furante accepit aliquid, si clamet, vel indicet furtum eius domino? Respondeo negatiue, nisi res accepta sit pars furti. Ita Sotus de iust. lib. 4. q. 7. art. 3. Nauar. c. 17. n. 21. & alij. 4. Verum huic doctrinae recte Nauarra vbi supra n. 132. & Lessius n. 68. adhibent limitationem, vt non procedat, si accipiens sua pollicitatione expressa, vel tacita furem animosorem reddit, qui alioquin absteritus esset, nam in tali casu tenebitur de illato damno tanquam participans.

RESOL. XXXIII.

An famuli teneantur impedire eos, qui furantur a suis Dominis? Et quid de famulo, cui custodia domus, pecorum, &c. aliarumque rerum Domini data est? Nota, quod in textu huius Resoluitiois sunt multa alia difficultates, quas hic breuis titulus comprehendere, & explicare non potest, nisi nimis longum sit, pro diuersis

aliis furis, & restitutionibus factis vel faciendis ab aliis specialibus personis distincto a latronibus, quae pro suis obligationibus aliquando ad restitutionem obligantur, &c. Ex part. 1. 1. tr. 6. & Misc. 6. Ref. 6.

§. 1. Affirmatiue responder Pontius in curs. theol. disp. 5. 2. q. 9. concl. 2. n. 61. & hoc non solum de illis, quibus specialiter cura custodiendorum bonorum illorum commissa est, de quibus non est ratio dubitandi; sed etiam de aliis, nam quamvis illa cura specialiter ipsis non sit commissa; tamen ex ratione sui status in genere videtur eos obligari, vt ad impediendum, nec potest esse dubium, quin illa sit voluntas domini, cui in hoc obtemperare debent. Nec scio, cur aliqui eximant famulum ab hac obligatione respectiue ad alium famulum domesticum, quasi non teneretur impedire ipsius etiam furtum, nisi quatenus posset formare iudicium quod non acciperet aliquid, nisi id, ad quod haberet licentiam vel expressam, vel interpretatiuam. Ita Pontius.

2. Sed quoad hoc vltimum communis sententia est in contrarium, quam tenet Lessius, lib. 2. c. 17. dub. 10. n. 75. Molina disp. 73. n. 2. Layman lib. 3. sect. 5. trall. 2. c. 5. n. 5. Cardin. Lugo de iust. tom. 2. disp. 19. sect. 3. n. 105. Ioannes Vvigers de iust. tr. 3. c. 2. dub. 6. nu. 51. & communiter. Dico igitur, famulum qui videt aliquem furari ex rebus Domini, & non impedit, non teneri ad restitutionem, quando furtum ab alio famulo domestico fieri videt, nisi si cura & custodia speciali munere commissa sit: vnde teneretur etiam famulus quando ei datur clavis ad extrahendum aliquid de aliquo loco, quia pro tunc custodia eius loci demandatur. Tenetur etiam, qui curam penus habent, vel ad custodiam, & vigilantiam supra res domesticas, vel familiarum praesciuntur.

3. Quoad alteram vero partem libenter assentior sententiae Patris Pontij, licet etiam quod quando famulus communis, cui peculiariter custodia, aut cura demandata non est, videt non a domestico, sed ab extraneo furtum de rebus domesticis fieri, non teneri etiam ad restitutionem, licet non impediatur, aut manifestet; videtur clare docere Molina loco cit. dicit enim, quando vnus famulus videret alterum famulum, aut quemvis alium accipere aliquid de rebus, quatum cura aut custodia, aut defensio nullo modo esset ei commissa, ac taceret, non teneretur id restituere. Cui consentire videtur Rebellus 1. par. de obligatione Iustitia. l. 2. q. 14. sect. 8. n. 62. dum solum dixit, teneri ad restitutionem famulos quibus custodia domus, pecorum, aliarumque rerum demandata est, & cum cui traditur clavis ad pecuniam, vel aliud detrahendum ab aliquo loco, si inde aliquid furari permittat. De aliis vero seruis, vel famulis nihil eiusmodi dicit. Clarius id docet Azorius, 10. 3. l. 8. c. 13. de locato, & conductos, questio 8. & Bonac. disp. prima de restitutione, q. 2. punct. 7. Alij dicunt tunc teneri famulum ad restitutionem, cum quibus, vt visum est sentit Pontius, & etiam ego, & idem docet Petrus Nauarra lib. 3. de restitutione, c. 1. n. 224. Lessius, c. 13. num. 75. cum Soto l. 4. de Iustitia, q. 7. art. 3. quia aliqua domus custodia eis videtur commissa, licet non cum speciali vigilantia, & ita videtur habere communis hominum sensus. Vnde infero, Primò idem esse si famulus videret alium famulum ex rebus domesticis congregare, vt noctu cum illis fugiat; quia iam tunc esset quasi furtum ab externis factum. Infero secundò, idem dicendum si famulus dum dominum extra domum committat, videret furem Domino crumenam furari, quia famuli sunt tunc quasi custodes domini, vt eum defendant. Et haec omnia docet Eminentissimus Lugo vbi supra.

4. Sed si aliquis hic quaerat, an si latro det alicui aliquid ne ipsius latrocinium impediatur clamando aut aliter

Sup. conten- to in hac, & duobus §§. seqq. supra in Ref. 31. & 32. §. 1. & 2. & infra in Ref. seq. §. 2. prope finem, v. nec famulus, & in Ref. 1. post seq. 3. Notandum, a lin. 6. & vers. Hinc notat.

Sup. hoc fure extraneo, in Ref. 1. not. praeterita in fine, & in Ref. 2. §. 2. & in 3. in eodem §. & vers. & in Ref. 4. in eodem vers.

Sup. hoc in ref. praeterita §. penult. & aliter